



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,  
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

**Nádasi, János**

**Coloniae Ubiorum, 1667**

2 Junii. 4 Nonas Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)



ire illuc potuit, nec deferri, peccatorum pondere vires omnium superante: sed peccata dolenter confessus, facili negotio eò, quò hactenus non poterat, ascendit. Expedi me à peccatis, quæ, sicut onus grave, gravata sunt super me; ut amor Dei sit pondus meum, & illo ferar, quocunque ferar!

S. Caprasi Abba, consummatæ sanctitatis vir; cui apparens S. Michaël Archangelus, felicem tibi obitum post biduum imminere dixit.

OMNES SANCTI, &c.  
pag. 320.

S. MARIA, *cujus Cordis festum hodie celebratur: Tibi æternum consecro cor meum! Sint festum Cordis tui singula hora mea; sint secundum Cor tuum, & cor meum, in æternum!*

2 Junii. 4 Nonas Junii.

SANCTA Blandina, quæ à primo mane, usque ad vesperum, usque ad carnificum lassitudinem, cruciata, inter dolores clamabas: *Christiana sum, & apud nos nihil admittitur sceleris. Deinde à bestiis intacta, verbera, sartagine passâ, reti involu-*



voluta, ab immani tauro exagitata, ense tandem jugulata pro Christo es. O Sancta gloriosa! Ora, ut ita vivam et ego, ita moriar verè *Christianus*; ut *nihil apud me, nihil à me, admittatur sceleris*. Defende me à bestiis inferni! impetra, ne me irretire possit dæmon; ut denique non tradat bestiis meam hanc animam, confitentem sibi, Deus meus. Amen.

S. Marcelline Presb. carceri, sinè cibo, sinè lumine, inclusè, & in vitri fragmentis volutate.

S. Petre, ab Angelo, unà cum Marcellino, è carcere liberate; & conversis pluribus, unà cum illo, capite plexe.

S. Erasme Episc. plumbatis, & fustibus cæse; resinâ, sulphure, plumbo liquefacto, cerâ, pice ferventi, oleoque perfuse, semper illæse; è carcere ab Angelo erepte; iterùm, post varia supplicia, areâ tunicâ candenti indute; ad quem pro nobis, te invocaturis, orantem vox è cælo audita est dicens: *Erasme, serve bone, quacunque petiisti accipies: intra in gaudium Domini tui, & epulare cum justis, ac electus Dei, in secula seculorum!* Cùmque jam propè à morte abesses, audita iterùm



rum vox cælestis, *Erasme*, agebat, *veni & requiesce; & recipe laborem tuum: per te enim honorificatus sum in celo, & in terrâ.* simulque admirabilem è cælo tibi obviam coronam vidisti, ac Sanctorum Apostolorum & Prophetarum choros. quando verò moriens dicebas, *Domine JESU Christe, suscipe animam servi tui!* anima tua, niveo candore spectabilis, visa est in cælum ab Angelis deportari.

S. Pothine Episc. nonagenarie senex, qui multis, ac variis cruciatibus tessus, in carcere biduo post animam efflâsti.

S. SANCTE Diacone, qui quis, cujas, qualis, esses? rogatus, non nisi, *Christianus sum*, respondisti; & licet cruentatus totus, laminisque ignitis toto corpore tortus, pulchrior tamen apparuisti, & cum S. Maturo neophyto, in ferreis, ignitisque cathedris frigus, unâ cum illo, caput pro Christo securi subjecisti.

S. Vetti, cognomento Epagathe, Christianorum advocate, cum iisdem, & SS. Biblide, Attalo, Alexandro, per fortia, & iterata certamina, Martyr.

S. Eugeni Papa.

S. Jo-



S. Joannes de Urticâ, cui S. Nicolaus, patronus tuus, è cælo adfuit, ac te suum, in beatâ perennitate, collegam fore prædixit.

S. Nicolae Staurophore, Crucis semper bajule, qui moriens Crucem viventibus legâsti.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA *Silvadicensis*, quæ antequam quendam, sagittâ vulneratum, per sanares, illi apparuisti, & monuisti, ut mores patrocínio tuo dignos indueret. Redde me dignum auxilio tuo semper!

3 Junii. 3 Non. Junii.

Sancti fratres, Pergentine, & Laurentine, qui vósmet invicem, ne præsentia, sed æterna tormenta timeretis, hortati, post jejunium triduanum, in carcere, pæne Angelico, in cælesti luce, ab Angelis resecti, aperto licet divinitus carcere, fugere nolulistis; & post prunas ignitas, illælo pede calcatas, plurimis ad Christum adductis, suavissimis è cælo vocibus, quibus ad mortem felicem invitamini, auditis, illam læti gladio subiistis. Amem æterna præ his, quæ